

POLITIA REGIA:

IN QVA

TOTUS IMPERIORUM MUNDUS, EORUM


ADMIRANDA, CENSUS, ÆRARIA, OPES, Vires, Regimina, & fundata stabilitaq; Magnitudo, copiosius, accuratius edisseruntur.

JOHANNES BOTERUS

recensuit, edidit:

JUSTUS REIFENBERG, JC T U S,

emaculavit, exposuit, auxit, Notis deniq; illustravit.



Guil.



Godolphin

Collegio

M. J. J. J. J.

MARPURGI, Typis Pauli Egenolphii.

clō lō c XX.





LECTORI.



LIBRI Johannis Boteri Benefii, Canonici Romani, Politicorum coryphæi, cui titulus, RELATIONES UNIVERSALES, eam partem, in quâ vires, opes, regimenq; Principum EUROPE, ASIÆ, & AFRICÆ, aliorumq;, quos UNIVERSALES appellitat (quod in tribus illis ORBIS partibus ditiones teneant) edisserit, ex Italico idiomate in Latinum transtulit Guido du Bruecqs. Alterius Itali cujusdam Relationes de dititionibus Ducis Sabaudie, Magni Ducis Etruria, Ducis Urbini, & Civitatis Venetiarum, ejusdem argumenti materiam, addidit, volumenq; confecit, quod Mundus Imperiorum hodie dicitur. Illud ipsum cum Regibus, viris Principibus, Dynastis, magnisq; ævi Heroibus, gratissimum accidat, eorumq; studium periclitetur, accuratior limâ perpolitum auctumq;. REGIAM POLITIAM inscriptimus, & propriâ industriâ illi aliorum etiam Imperiorum, Regnorum, Provinciarum, limites adsignavimus. Stilum ipsius Guidonis præterea (quod quidem leviculum est) ad leges Latini sermonis in quibusdam revocavimus, sed parcius. Dictatoriâ enim aut Tribunitiâ potestate non utimur. Marginem quoq; libri integrum servavimus, Notasq; uberiores ad calcem retulimus, ut hæc nostra cum aliis authoribus diligens lector conferre optimè & æquissimè possit. Qui bonus & serius Politicorum magister es, plausum dabis, & luculenter favebis.

S(*) 50



EPISTOLA NUNCUPATORIA.
ILLUSTRISSIMIS ET PO-
TENTISSIMIS
ORDINIBUS UNITARUM
BELGII PROVINCIARUM,
Dicat sacratq;.



SOLENNE capit esse pauca verba facere ad vi-
ros illustres, & claritudine virtutum ad summum
fastigium delectos. Sacro enim silentio, magnâ re-
ligione, ingentia animi facinora, præclara tro-
phæa prosequi par est. Seculi mores, studia & co-
natus longius à priscâ fortitudine, à priscâ nobili-
tate abeunt. Qui itaq; ævi mortalitatem imbe-
cillitatemq; in victo animi fortunæq; robore excedunt, ne illi religioso
venerationis cultu, & perpetuâ tacitâq; facinorum memoriâ ab aliis se-
cernendi sunt. Certè Illustrissimi Ordines, verba facere ad vos verecun-
dor, eandem dicendi provinciam, quâ modo defunctus sum, repetere ni-
mis arduum existimo. Magni, potentes, Felices estis, & hoc nomine
publica fama præconia vos vehunt

trans aquora, transq; remotas
Tethyos ambages, Atlanteosq; recessus.

Magnitudinem Reipublicæ vestræ magnis suffragiis viri magni extol-
lunt: Potentiæ exquisitissimum robur ipsa potentia fulcra celebrant:
Felicitem summam felicissimi mortalium prædicant. Ego quid di-
cam, dictisve addam? Nihil. Nihil planè. Verba majestatem non ca-



JOANNIS BOTERI POLITIA
 Imperiorum, Regnorum, Rerumpublicarum,
 emaculatio, auctiorq̄

REX FRANCIAE.

HABET Francia pro terminis Alpes, qui ipsam ab Italia dividunt: Rhodanus separat ipsam à Sabaudia: Araris à Sebusianis & Heduis: Mosella fluvius à Lotharingia, & Ducatu Luxemburgensi: Aa rivulus Flandria, à latere Occidentali est: Francia ad Meridiem mare Mediterraneum est, & Pyrenai montes: ad Occasum Oceanus: ad Septentriones, mare Britannicum. Extendit se in latere Meridionali Septentrionem versus, à Lotharingia Caletum usque, spacio quasi 200. leucarum Francicarum, dilatatq̄, se paulò minus inter Ortum & Occasum, à flumine Varo, ad Paurum usq̄: restringit se tamen tantò magis, quantò plus Septentrioni accedit. Ejus minima latitudo est inter Caletum & Britanniae promontorium. Figura ejus inter quadratum & rotundum est, ideoq̄, multò capacius, quàm quispiam arbitretur. Continet Provincias amplissimas, sed præcipue sunt Picardia, Normannia, Britannia, Francia, Campania, Burgundia, Arvernica, Delphinatus, Provincia: nec sunt tamen contemnenda Bria, Beelsia, Turonia, Andegavensis Ducatus, Santonia, Biturigum Ducatus, & alia. Initium ejus est in 42. gradu, experiturq̄, talem aeris diversitatem, ut pars quæ ad mare Mediterraneum est, (ubi sunt Languedocia & Provincia) producat omne fructuum genus quod dat Italia. Ea autem quæ ad mare Britannicum est (ubi sunt Britannia, Normannia, & Picardia pars) vinum non profert: reliquum regni abundat, plus quàm credi possit, omni Eu-



JUSTI REIFENBERG, J Cti,

Ad Politiam Regiam

JOHANNIS BOTERI NOTÆ
& Recensiones novissimæ.

INTROITUS.



APULO Lector ab annis aliquot multis, & verè vapulo, quòd inter leges & jura, historiarum, civilis doctrinæ, & eloquentiæ studia etiam tractem, expediàm. An jure vel merito aliquo vapulem, non hîc quæsierim, non disputaverim. Sed tu Curio noster vide, vide quæso mihi penitiùs hæc studia, quæ cotidiana & familiaria nimis literarum juriumq; Candidati sibi habent. Tu plura vides? Bonum nuncium. Obstruere luminibus Jurisprudentiæ illa gnaviter putas, & artem illam solam prædicas, quam veterani Pragmatici, litium Novatores unicè obtrudunt. O homo, etiam huic cothurno nos pedem aptavimus, & scholæ jam nunc etiam vacamus, quam tot Sulpitii, tot Ulpiani nobis aperuerunt. An operæ pretium factum, penes publica etiam monumenta fides sit. Tu hoc etiam (ne nescias) vide, atq; cognosce, ne, dum literas has altioris studii culpas, infra ingenium tamen abjicis, & in hujus, & in alterius stadii cursu impeditus hæreas, & totâ viâ vacilles. Ego illa metalla opulentissima scio, quorum in alto latet vena, assiduè responsura fodienti, & hanc telam nunc etiam pertexo. Fave magne ingenii Princeps, fave tu, qui è vulgo nomen exemisti, & annue.